



Disputatio juridica inauguralis de tutelis

<https://hdl.handle.net/1874/345200>

46.

D I S P U T A T I O J U R I D I C A
I N A U G U R A L I S,
D E

T U T E L I S,

O Q U A M
FAVENTE TRI-UNO NUMINE,
Auctoritate Magnifici D. Rectoris,

J A C O B I V A L L A N,

M. D. Praxeos & Institut. Medicinæ Professoris Ordinarii,
N E C N O N

Amplissimi Senatus Academicorum consensu, Nobilissimaque

Facultatis JURIDICÆ Decretum,

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in UTROQUE JURE Honoribus & Privilegiis
ritè ac legitimè consequendis,

Eruditorum examini subjicit

CORNELIUS à CULEMBURCH, ULTRAJ.

Ad diem 8. Februario horâ locoque solitis.



T R A J E C T I ad R H E N U M ,

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiæ
Typographi, d̄c lcc xcii.

Spectatissimo Prudentissimoque

*V I R O, T U T
D. J A C O B O
à CULEMBURCH,
Fratri suo amore semper fra-
terna prosequendo.*

Hanc Disputationem Inauguralem

Offert & inscribit

CORN. à CULEMBURCH.

*F R A N C I S C I H A L M A E Academiæ
T y b o g i s p h i , c d I D C X C I I . Auctor.*

D I S P U T A T I O J U R I D I C A
I N A U G U R A L I S,
D E
T U T E L I S.
T H E S I S . I.



E nobilissima & utilissima tutelæ matræ disputaturus, ordine ab ipsa definitio-
ne exordior. Definitur autem tutela vis
ac potestas in capite libero ad tuendum
eum qui per ætatem se defendere nequit,
jure civili data ac permissa. l. i. ff. de
tutel. §. i. inst. eod.

I I.

Dicitur vis ac potestas, quæ verbahic
Synonyma esse videntur, uti etiam ita sumuntur in §. 3. inst. de
interdictus & l. 17. ff. de legib. & nihil aliud denotant quam fa-
cultatem pro auctoritate aliquid administrandi. Dicitur *in capite*
libero, Caput liberum proculdubio hic significat hominem libe-
rum, uti illa verba apud bonos autores sumuntur, utrum autem
de tutori an de pupillo intelligenda sint si queratur; respon-
demus nihil obstare quominus de utroque intelligi possint. Ra-
tio quare tutor debeat esse liberum caput illa est quod servi non
habent communionem juris civilis l. 32. ff. de R. Jur. definitio
autem nostra tutelam ad jus civile refert, pupillus etiam debet
esse persona libera, quia si servus fiat est in potestate domini,
si filius in potestate patris.

I I I.

Sequitur in definitione *ad tuendum eum*, sub particulâ *eum*
ex juris consuetudine etiam continetur sc̄mina, filiorum enim
appellatione etiam filiæ continentur l. 16. ff. de testam. tutel. &
verbū masculinū etiam sc̄mininū comprehendit l. i. ff. de
verb. signif. Præterea hæc verba *ad tuendum eum* illud quoque
denotant, quod tutor principaliter detur ad defendendam per-
sonam pupilli, in quo differt à curatore, qui datur ad defendendas

4 DISPUTATIO JURIDICA

res minoris §. 4. *inst. de testam. tutel.* Attamen etiam per consequiam tutor datur rebus & patrimonio pupilli §. 17. *inst. de excus. tutor. l. 12. §. 2. ff. de administr. & pericul. tutor.* Additur in definitione *qui per etatem se defendere nequit*, hoc modo etiam tutela à cura distinguitur, quæ ob alias etiam causas constitui potest §. 3. & 4. *inst. de Curator.* ætas porro intelligitur impuberum usque ad annum 14. in masculis, duodecimum in sc̄minis *pr. inst. quib. mod. tutel finit.* Subjunguntur denique illa verba *jure civili data ac permissa*, quando tutela hic adscribitur juri civili, hoc referendum est ad formam quam à jure Civili accepit, nam alias quod ad originem spectat tutela est juris naturalis seu gentium §. *pen. inst. de auctil. tutor.*

I V.

Tutela est triplex, testamentaria, legitima & dativa *l. 12. ff. de episcop. & cleric.* Testamentaria tutela est cum pater vel avus paternus liberis suis impuberibus, post mortem suam in alterius potestatem non recasuris, tutores dat testamento vel Codicillis testamento confirmatis *l. 3. & l. ult. ff. de testam. tutel. §. 3. inst. de tutel.* Pertinet ad hanc speciem tutelæ hæc quæstio, an pater in testamento possit dare tutorem filio exhæredato? *aff. l. 4. ff. de testam. tutel.* Ratio, quia exhæredatio est adhuc in potestate. Quid de matre? illa non potest in testamento dare tutores liberis, nisi eos primo instituerit hærcdes, quia non tam personis dat quam bonis, & ideo etiam adhuc confirmatione opus est. *l. 4. ff. de testam. tutel. & l. 2. ff. de confirm. tutor.*

V.

Deficiente testamentaria tutela & non ante locus est tutelæ legitimæ *l. 11. ff. de tutelis.* hæc legitima vocatur, quia legis beneficio citra factum hominis defertur, quo sensu etiam jurisdictio legitima dicitur. Definiri potest hoc modo, legitima tutela est, quæ cessante testamentaria defertur a lege. Hæc tutela antiquo jure solis deferebatur agnatis ob successionis emolumenntum, soli enim agnati ab intestato succedebant excludebantque cognatos. *tit. inst. de legit. patr. tutel. l. 73. de R. Juris.* verum imperator Justinianus hanc differentiam sustulit, atque cognatos cum agnatis æquali jure ad successionem & per consequens ad tutelam vocavit *per Nov. 118. cap. 4. & 5.*

VI. Non

A I N A U G U R A L I S. C 5

V I.

Non autem quod dictum est ad fæminas extendi debet , licet enim illæ etiam possint habere successionis emolumenntum , tamen ad tutelam admitti non possunt , quia tutela est munus virile . *I. fin. ff. de tutel. l. 1. Cod. quando mulier. alibi etiam dicitur publicum & personale munus l. 1. §. 4. ff. de munerib. fæminæ autem ab omnibus officiis publicis & civilibus remotæ sunt l. 2. ff. de R. Jur. Hoc autem quod dictum est patitur exceptionem in matre & avia , quæ etiam ad tutelam liberorum admitti possunt *Amb. matri & avie Cod. quand. mulier* , adeo ut legitimis tutoribus præferantur , solis testamentariis eas præcedentibus *Nov. 118. Cap. 5.* ut autem matres & aviae ad tutelam admittantur 1. renunciare debent *SConsulto Vellejano.* 2. etiam secundis nuptiis dd. ff. olim quidem illa renunciatio jurato fiebat , sed jure novo jus jurandum remissum est , *Amb. Sacrament. Cod. quib. muliar Nov. 94. Cap. 2.**

V I I.

Tutela *dativa* ita vocatur , quia tales tutores à magistratu solenniter dari solebant , vocatur etiam *honoraria* , quia datur ab iis qui honores gerunt , dicitur etiam *Attiliana tit. inst. de Attil. tutor.* quia ex lege Attilia primitus jus dandi tutores concessum est . Tutela *dativa* est , quæ cessante testamentaria & legitima datur à magistratu cui hoc specialiter est concessum . Dicitur *cui hoc specialiter concessum est* , nam tutoris datio neque imperii est neque jurisdictionis , sed ei soli competit , cui nominatim hoc dedit vel lex , vel Senatusconsultum , vel Princeps . *I. 6. §. 2. ff. de tutelis* alioquin jure Romano omnes Magistratus possunt dare tutores .

V I I I.

Hactenus dictum est quomodo tutores constituantur per testamentum per legem & per privilegium in eo magistratum . Ubi autem tutores cognoverunt se legitime constitutos esse , statim gerere & administrare munus ipsis injunctum debent , alioquin suo periculo cessant *I. 1. §. 1. & I. 5. §. ult. ff. de adminisfr. tutor.* Eo amplius extra ordinem strictioribus remedii ad administrationem cogi possunt *I. 1. pr. ff. de administ. tutor.* & si in ea contumacia perseveraverint , suspecti postulari , & remo-

DISPUTATIO JURIDICA

veri. l. 3. Cod. de suspe&t. tut. §. pen. inf. de satisd. tutor. cum infamia, ob pertinaciam.

Prius tamen quam tutores res pupillares attingant, inventarium rerum omnium & instrumentorum sub præsentia personarum publicarum solenniter facere jubentur l. 24. Cod. de administr. tutor. Stat. traj. rubr. 31. §. 3. sub pena remotionis & infamie, ne quidem principali rescripto abolenda l. ult. §. 1. Cod. arbitr. tut. & ut insuper teneantur in id, quod interest pupilli vel minoris, estimatione facienda per jurandum in item. l. 7. princ. ff. de administr. tutor. l. 4. Cod. de in lit. jurand.

Præterea datis fidejussoribus cavere debent rem pupilli salvam fore l. 1. ff. qui satisd. cog. prisc. inf. de satisd. tutor. l. 3. §. 1. ff. de leg. tut. adeo ut siquæ gesserint satisfactione non præstata, ipse jure irrita sint l. 3. Cod. de tutor. & curat. qui satis. non ded. Qua satisfactione soli excusantur tutores testamentarii & ex inquisitione dati. princ. inf. de satisd. tutor. Mores hic variant: Jura enim pleraque municipalia strictius, quam jus Romanum omnibus tutoribus hanc cautionem injungere videntur. Stat. traj. Rubr. 31. §. 3. Christin. §. 7. Num. 4. tit. 19. ad cons. Mechlin.

X I.

Administrationis vero, quæ tutoribus incumbit, partes sunt: ut pupillus ritè & rectè educetur & alatur, commodo & securi-
loco commoretur: in quibus tutor sequetur voluntatem patris vel arbitrium proprium, vel, quod ex omnibus tutius est, arbitrium prætoris: habito respectu facultatum & natu-
lium pupilli. l. 12. §. 3. ff. de adminis. tut. Titt. ff. & Cod. ubi pnp.
educ. vel mor. deb. & alim ei præstand. Item ut pupillus defendatur
l. 30. ff. de admin. tut. ut debitores pupillares exigantur l. 13. ff.
de admin. tutor. Creditoribus solvatur. l. 9. §. 6. l. 10. ff. de ad-
minis. tutor. Pecunia collocentur ad prædiorum comparatio-
nem, vel si eorum bona conditio non suffpetat, idoneis homi-
nibus sub usuris credantur: si neutrum fecerit, initio quidem
tutelæ post sex, deinde vero post duos menses ad usuras tene-
tur l. 7. §. 11. l. 15. ff. de adminis. tut.

XII. At-

X I I.

Atque ita vidimus quomodo tutor ipse administret, interdum etiam contingere potest, ut pupilli gerenti autoritatem præstet. Auctoritas tutoris est expressa approbatio ejus quod cum pupillo geritur. Hæc interdum necessaria est, interdum non, quod ita verum est, si pupillus conditionem suam meliorem fecerit, veluti se ipsum ab obligatione liberando, aliquid sibi acquirendo, alium sibi obligando, tunc non opus est autoritate tutoris: contra si conditionem suam fecerit deteriorem, veluti se ipsum obligando debitorem suum liberando vel aliquid alienando tunc opus est tutoris autoritate. *pr. inst. de auctor. tutor. l. ii. ff. de acquir. rerum domin. l. i. Cod. de auctor. tutor.* Quid si igitur pupillus iniverit contractus utrimque obligatorios, tunc pupillus non obligatur, contra ille qui cum pupillo contraxit, effaciter obligatur. *d. pr. l. 13. §. 29. ff. de act. empl. sed pupillus si re possessa factus sit locupletior, tunc obligaretur, l. 5. ff. de auct. tut.*

X I I I.

Queritur an pupillus sine tutoris auctoritate contrahens saltem non obligetur naturaliter? quod omnino affirmandum videtur, modo pupillus sit ejus ætatis, ut intelligere possit quid agit, nam ita pupilli obligatio naturalis dicitur *l. 21. ff. ad leg. falcid. l. 64. in pr. ff. ad senali. consult. Vellej.* & præterea accessoriæ obligationes ejus obligationi cum effectu accedere possunt, uti fidejussio *l. 127 ff. de verboru. obl.* Novatio *l. i. §. 1. ff. de novat.* Interdum tamen J Cti negant pupillum naturaliter obligari, uti in *l. 19. ff. de obl. & act. & l. 41. ff. de cond. indebit.* Verum hoc referendum est ad illos effectus, qui pupillo damnum adferre possent.

X I V.

Finitur tutela his fere modis 1. pubertate, quæ in sceminiis contingit anno duodecimo, in masculis decimo quarto, *primo. inst. quib. mod. tutel. finit.* 2. Morte naturali, tam tutoris quam pupilli. *§. 3. inst. quib. mod. tutel. fin. l. 16. §. 1. ff. de tutel.* 3. Morte civili sive capitisi deminutione pupilli, etiam minima: maxima vero & media tutoris. *§. 4. inst. quib. mod. tutel. fini.* 4. Eventu diei vel conditionis ad quam tutor datus est. *§. 2. inst. cod.* 5. Remotione suspecti tutoris. 6. Excusatione perpetua à tutela *§. 6. inst. quib. mod. tutel. finit.*

Ex-

DISPUTATIO JURIDICA INAUGUR.

X V.

Excusatio est allegatio immunitatis à tutela vel cura , quam quis habet ex privilegio vel alia justa causa . Justæ causæ excusationis sunt variæ , quæ videri possunt . *in tit. inst. de excus. tut.* Causam excusationis proponere debet tutor intra quinquaginta dies continuos , ex quo cognoverit se tutorem datum esse , vel etiam plures habita ratione distantiae locorum , ubi habitant tutores . §. 16. *inst. de excus. tut.*

X V I.

Tutor vel curator , qui officio non fungitur , removetur tanquam suspectus . Suspectus est , qui non ex fide tutelam gerit , vel gesturus esse presumitur . §. 5. *inst. de susp. tutorib.* Omnes tutores & curatores sive sint testamentarii , sive legitimi , sive dativi , suspecti fieri possunt & postulari , §. 2. *inst. de susp. tut. l. 1.* §. 5. ff. *cod.* Tutores suspecti possunt accusari à quolibet , etiam ab ipsis mulieribus §. 3. *inst. de susp. tut. l. 1.* §. 6. ff. *cod.* Non tamen ab impuberibus , à puberibus ex consilio necessariorum §. 4. *inst. cod.* & l. 7. *pr. ff. cod.* Effectus accusationis institutæ est interdictio administrationis pendente cognitione . §. 7. *inst. cod.* l. 7. *Cod. cod.* Effectus accusationis probatae est remotio à tutela , quæ si fiat ob dolum aut culpam latam , tutorem facit infamem ob levem non item . §. 6. *inst. de susp. tutorib.* quia lata culpa æquiparatur hic dolo . l. 223. & 226. ff. *de verb. signif.* veluti si tutor media nocte , ubi bona pupilli sunt , domum reliquit apertam , vel sciens ventosa die ignem excitet vento flammas tracturo ad domum pupilli secus est in homicidii poenâ . l. 7. ff. ad l. *Corn. de sciar.*

C O R O L L A R I A.

I.

Exceptio non numerata pecunia non potest opponi post biennium.

I I.

Perfecta emtione periculum rei vendite pertinet ad emtorem.

I I I.

Bonafidei possessor omnes fructus iam naturales quam industrielles consumtos facit suos & lucratur.

F I N I S.